



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

10. Vtrùm Catholico liceat comitari funera hæreticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

obambulandi, prout ibi moris est. Si autem solum ad hoc conducatur, non video cur dandum sit, quia hoc nullatenus est contra externam professionem fidei. Et idem est illo cui tantum incumbit pulsare campanam ad dandum signum operariis, illis horis quibus accedere, & abscedere debeant ad opera sua, vel ad claudendam portam civitatis, vel ad extinguendum incendium, vel pro sepulchro, vel pro similibus quæ nullatenus tangunt ritus religionis ipsorum.

Probat igitur non licere organistam agere tempore quo aliqui ritus hæretici exercentur, vel ad illos disponuntur, nec campanas pulsare ad convocandum ad illos ritus, & multo minus agere ædituum, quæ omnia ad talia hæreticorum exercitia disponunt. Quia omnibus illis modis sit cooperatio cum ritibus hæreticorum, sed hoc intrinsecè malum est, & consequenter nunquam est licitum, in quocumque etiam casu necessitatis: Maj. autem per se patet consideranti dictas functiones.

### ARTICULUS X.

*Utrum Catholico liceat comitari funera hæreticorum.*

**N**on loquimur hîc de hæreticis denuntiatis; sicut enim illicitum est cum illis

III. DE FIDE EXTERNA. 119

Si autem communicare dum vivunt, ita etiam post mortem; quod solum fieri posset per sepulturam; licet autem non possit ipsorum corporibus negari sepultura, saltem profana; comitari tamen funus, quod est aliquem honorem præstare, non est licitum. In missione autem de qua agimus, denuntiatio numquam, aut vix unquam locum habet, videlicet in partibus Hollandiæ & aliis confœderatis Provinciis, in Angliâ & aliquibus Germaniæ & Galliæ locis, & alibi in similibus Regnis aut Provinciis, in quibus rarissima est personalis denuntiatio hæreticorum. Quibus præmissis; Dicendum, hoc planè esse licitum. Quia in tali concomitantia nihil est quod fidei adversetur, aut in quo aliquis ritus hæreticus foveatur. Sic enim comitari aut deducere funus hæretici, solum est actus humanitatis vel cognationis, vel alterius similis obligationis, unde nihil est in hoc contra fidem. Sic tenent Navarrus lib. 2. Conf. 12. de Hæret. & Sanchez in summa lib. 2. cap. 9. n. 7. Azor. tomo 1. lib. 8. c. 11. q. 4 & Verricelli tract. 4. q. 94. dub. 2. & sequent.

Merito tamen aliqui restringunt; dummodo non sepeliantur in loco sacro, sed tantum profano, quia sepulturâ sacrâ privantur hæretici notorii, licet etiam non sint denunciati, ac proinde comitari funus hæretici notorii in loco sacro, licet non inferret excommunicationem, esset tamen mortale peccatum.

Quod in missione nostra specialem habet diffi-

difficultatem, quia ibi passim tam Catholicis quàm hæretici sepeliuntur in Ecclesijs, quæ olim erant Catholicorum ac proinde loca sacra, quæ non amiserunt consecrationem suam per hoc quod ibi hæretici sepeliantur, & semper sepulti sint, uti alibi dicitur, dummodo non sint nominatim denunciati.

Resp. autem ad hanc difficultatem, quod licet in veritate loca consecrata maneant semper per Sacra, ita ut non indigeant denuò consecrari, sed tantùm benedici aut reconciliari, si profanata sint; nihilominus illæ jam toties violatæ non amplius fruuntur prioribus suis privilegijs ac proinde licitè possit hæreticus in ipsis sepeliri. Imo dato quòd hoc non liceret, redundaret tantùm in illos qui propriè sepeliunt; sive per mandatum, sive per executionem; non verò in concomitantes, qui tantùm cooperantur ad pompam, non ad sepulturam.

## ARTICULUS XI.

*Vrùm Catholico liceat uti vestibus Hæreticorum aut Infidelium.*

**P**ostquam egimus de actionibus quæ aliam quam professionem infidelitatis, aut negationem fidei involvunt; superest aliqua dicere de vestibus falsam religionem significantibus.